

men nobis propositum est tale quæsum vel probandum
vel improbandum , statim solliciti sumus de alio tertio
termino , qui medius nuncupari consuevit , quem si cum
utroque extremo quæsum connectimus , duas præmissas
facimus , quibus mediantibus ipsum quæsum infertur ;
Hicque terminus medius prædicato quæsum in Syllogismis
directis conjunctus , sive ei subjiciatur , sive de eo prædice-
tur , constituit propositionem majorem ; sin vero cum sub-
iecto quæsum connectitur , quounque modo istud fiat , sive
in ratione subjecti , sive in ratione prædicati , facit in Syl-
logismis directis præpositionem minorem . Ex quibus pro-
positionibus conjunctis inferre solemus quæsum ; quod
tunc mutato nomine vocatur *conclusio* . Ex his jam diversis
modis connectendi medium terminum cum extremis
quæsum , inventus fuit figurarum numerus , qui non
aliundè petitus , quam à diversa mediis terminis cum extre-
mis positione . Nam si medius terminus utrique extremo-
rum subjicitur , oritur tertia figura , si de utroque prædica-
tur , oritur secunda , si vero majori termino subjiciatur ,
& de minore prædicetur , oritur prima figura . Et sic nu-
merus trium figurarum fuit ab Aristotele in libris analyti-
cis ostensus , qui propterea appellantur analytici ἀπολύτης α-
λγειαν à resolvendo ; seu latinè Resolutorii , quia docent
propositam conclusionem resolvere in sua principia : do-
cent quippe invenire duas propositiones ad conclusio-
nem inferendam , à conclusione autem ad principia inve-
nienda procedere , nihil aliud est quam resolvere ,

§. V. Ex his liquet , quid respondendum sit ad ar-
gumenta illius , qui suppresso nomine scriptum quod-
dam contra veterem ratiocinandi artem ab Aristotele
Peripatus Auctore excogitatum , non ita pridem edidit ,
quo in tres figuras consuetas rejicit , & quartam , quam
nos